



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis**


**Ferdinand <Köln, Erzbischof>**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

De Sacramento Confirmationis instructio Pastorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39761**

liebe vnd gute elterliche Affection zu diesem Kind zu tragen / sondern dieselbe auch auff alle wege nach etwerm Vermögen mit der that zu beweisen / wie das Christlichen frommen Gevattern / vnd Mitteltern zu thun gebühret: Dessen ich euch hiermit zur Nachrichtung erinnere / vnd euch solches auch Amptshalben auffgelegt haben will.



# I N S T R V C T I O

## P A S T O R V M D E S A C R A -

### m e n t o C o n f i r m a t i o n i s .

#### I.

De Confirmationis Sacramento quid, quando & quare populus per Pastores docendus.



Via Confirmationis Sacramentum plurimi hoc tempore negligunt, pauci ea, qua par est, animi præparatione suscipiunt, Pastorum erit de natura, vi, dignitate eius fideles cum aliâs, tum maximè in ferijs Pentecostes, & quando Episcopus ad Confirmationis sacramentum administrandum expectatur, ita docere, vt intelligant non solum non negligendum, sed summa cum pietate suscipiendum, ne ipsorum culpa & maximo malo eueniat, vt frustra hoc diuinum beneficium in eos collatum videatur.

Confirmationis Materia.

**II.** Materia est chrisma ex oleo, & balsamo confectum ac solenni Episcopi benedictione sanctificatum. Oleum gratiam

gratiam è Christo capite stillantem, & nitorem bonæ conscientia designat. Balsamum odorem bonæ famæ.

**III. Forma.** Signo te signo crucis, & confirmo te chrif-  
mate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

*Forma.*

**IV. Ordinarius minister** est Episcopus, cæteras enim vn-  
ctiones cum simplex Sacerdos conferre possit, huius ta-  
men collatio non nisi ad Episcopum spectat.

*Minister.  
Concil. Fla-  
rent. & Tri-  
dent. Inno-  
cent. epist. 1.  
& alij.*

**V. Effectus** huic sacramento cum alijs communis est gra-  
tiam nouam, nisi impedimentum aliquod ex parte eius  
qui recipit inferatur, tribuere, & peccata remittere, P ro-  
prius verò, baptismi gratiam perficere atque augere: vt ba-  
ptizati aduersus omnes carnis, mundi, & diaboli impetus  
robustiores effecti, ac in fide omninò confirmati intrepidè  
atque constanter nomen Domini nostri Iesu Christi con-  
fiteantur atque glorificent, victuris enim ait Melchiades  
necessaria sunt confirmationis auxilia. Imprimis præter-  
ea characterem, quò fit vt nulla ratione vnquam iterari  
possit.

*Effectus.*

1.

2.

*In epistola  
ad Episco-  
pos Hispaniæ.*

3.

**VI. Quanquam** hoc sacramentum omnibus olim bapti-  
zatis etiam infantibus daretur; rectè tamen faciunt, qui ad  
septimum aut circiter ætatis annum eius susceptionem  
differunt. Cùm enim confirmatio non ad salutis necessi-  
tatem instituta sit, sed vt virtute eius instructi atque parati,  
ad fortiter pro Christi fide, cùm opus est, pugnandum mu-  
niamur, pueri autem, qui nondum rationis vsum attige-  
runt, ad id pugnae genus sint inepti; dubium esse non potest  
quin maximè conueniat annos discretionis pro confir-  
matione accipienda, expectare.

*Qui con-  
firmandi,  
& qua gra-  
te.*

*Stat. Sifrid.  
c. 5. pag. 36*

H

VII. Ab

De adultis  
co: fir-  
mandis.  
De conf. d.  
5. c. vi. ie-  
iun.

Stat. Sifridi  
ibidem.

Patrinus in  
Confirm.

quot &  
quales.

Cap. Non  
plures de  
consec. dist.

4.  
Stat. Sifridi,  
ibidem.

Cognatio  
spiritualis  
ex confir-  
matione,

inter quos  
Conc. Trid.

sess. 24.  
cap. 2. Decr.

de reform.  
Matrim.

Qui Patri  
ni esse pos-  
sint qui  
non.

Stat. Sifridi  
ibidem.

Cōfirmati  
frōs fascia

obligan-

da, quare

& quam-

diu, &c.  
De consecr.

d. c. cap. si  
quis voluc-  
rit.

**VII.** **A**badultis Concilium Aurelianense requirit, vt si-  
vberem gratiam Spiritus sancti ex hoc sacramento perci-  
pere velint, cōfessionē peccatorū prēmittant, & ieiuni ac-  
cedant, alijsque præterea pietatis officijs se exercent.

**VIII.** **P**atrinus non nisi vnus assumi debet, isque cōfirma-  
tus, & alius ab eo (si fieri commodè potest) qui confirman-  
dum de fonte suscepit. Ab hæreticis autem excommuni-  
catis, publicè criminosis, non confirmatis, itemque perso-  
nis religiosi abstinendum.

**IX.** **A**c vt in baptismo, sic etiam hîc inter P atrinum vel  
matrinam, confirmantem, confirmatum, huiusque patrem  
& matrem cognatio spiritualis cōtrahitur matrimonium  
contrahendum impediens, & contractum dirimens.

**X.** **S**ed & illud tenendum, quemlibet quidem confirma-  
tum posse non confirmatum tenere, siue eiusdem siue al-  
terius sexus ille sit (exceptis coniugibus, quorū alter alterū  
aut vllum ex suis liberis tenere non potest, propterea quod  
cognitionem spiritualem matrimonij vsū impediētem  
contraherent) esse tamen decentius, & securius, vt masculi  
masculos, & foeminæ puellas teneant.

**XI.** **I**ostulat sacramenti reuerentia, vt confirmandi ac-  
cedant facie lota, munda & crinibus in frontem defluen-  
tibus resectis.

**XII.** **V**su etiam receptū est, vt frons confirmati ob chris-  
matis reuerentiā munda fascia obligetur, interposito inter  
fasciam, & locum consignatū linteolo duplicato, aut mo-  
dico gossipij. Ac fasciam quidem vbi triduum gestârit, ali-  
cui soluendam, & frontem sale, & aqua cum stuppa de-  
frican-

fricadā exhibebit. Linteolum verò gossipium in ignem aut flumen conijciet, vel Parocho tradet honesto loco ad sacros cineres, in diem Cinerum Quadragesimę feruandum.

XIII. In fascia liganda aut soluenda cognatio vel affinitas spiritalis non contrahitur.

XIV. In fronte, quæ pudoris sedes est, sacro chrismate confirmandus inungitur, teste Augustino, vt moneatur absq; vlllo pudore, & timore confiteri fidem inter persecutiones infidelium, & opprobria hæreticorum.

Cur in fronte fiat inunctio. August. in Psal. 141.

XV. A lapa leniter ceditur in maxilla, vt meminerit se tanquam fortem Christi militem, & athletam paratum esse debere, ad quæuis aduersa pro eius nomine ferenda.

Cur a lapa confirmato detur.

XVI. Pacem confirmato Episcopus imprecatur, vt intelligat se gratiæ cœlestis plenitudinem, & veram pacem, quæ exsuperat omnem sensum, consecutum esse.

Cur Episcopus confirmato pacē precetur. Phil. p. 4.

XVII. Parentes, & patrini filijs suis, ijs præsertim qui antestationis vsum confirmati sunt, in memoriam reuocabunt, vbi, quando & à quo sint confirmati, ne huius oblitii, iteratò confirmationis sacramentum (quod sacrilegum est) recipiant.

Parentum & Patrino- rum circa confirma- tos offi- cium.

XIX. Quoniã certū est in sacramēto Confirmationis fideles percipere amplos diuinæ gratiæ fructus, & saluberrima auxilia, curandū Pastorib⁹, vt suos oblata occasione frequenter, & feruenter ad eius deuotā susceptionem cohortentur; doceantq; quod eius, (data præsertim suscipiēdi cōmoditate nō facilè reditura, & persecutionis tēpore) neglectio quidē cū spiritaliū bonorū detrimēto sit, contēptus verò etiã dānabitis existat.

De his qui sacramen- tum confir- mationis negli- gunt aut con- tem- nunt.

Pastorum  
Colon cir-  
ca promul-  
gationem  
Confirma-  
tionis offi-  
cium.

**XX.** Quocirca obseruabunt Parochi, quod, quia Colo-  
niæ vsitatum est, vt quatuor anni temporibus populus ad  
suscipiendum Confirmationis Sacramentum accurrere  
soleat, operæ precium fecerint, si tunc in primis pro con-  
cione suos ad salutare hoc sacramentum suscipiendum co-  
hortati fuerint, deque eius natura, dignitate & fructibus  
pro temporis ratione aliquid dicant.

Pastorum  
Ruralium  
officium.

**XXI.** Pastores autem qui alibi & præsertim, ruri agunt,  
vbi intellexerint Episcopum seu suffraganeum ex causa  
aliqua, vt fieri solet, suis appropinquare finibus, diligenter  
subditum sibi gregem commonebunt, vt sese benè ad su-  
sceptionem huius sacramenti disponant, & Episcopum  
tali in loco, tali die illud accepturi adeant, neque occasio-  
nem istam facilè sibi elabi sinant.

**MODVS ABLVENDI SA-  
crum Chrisma tertio à confirma-  
tione susceptâ die.**



**V** Malicui, & præsertim Sacerdoti, confir-  
matus pro abluendo S. Chrismate oblatus  
fuerit, is salem accipiat, & aquam mundam  
pelui infundat, atque dicat:

**A**diutorium nostrum in nomi-  
ne Domini.

**Resp.** Qui fecit coelum & terram.

Sit nomen Domini benedictum.

**Resp.** Ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Hic